Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

23

qui damnacioni exibat, opibus ad ipsum conspi-
racionis persisteret. Erat enim et ipse ex
dampnata progenie cognatus mauricii. Ce-
terum rex et episcopi et fideles terre in midensi
convenerant ut introduceret malachiam.
Et ecce concilium malignancium ex adverso.
Quidam de filiis belial, princeps ad malici-
am, potens iniquitate, sciens locum ubi
pariter convenire decrevissent, multis ag-
gregatis sibi latenter vicinum occupat col-
lem eminentem ex regione, unde illis trac-
tantibus aliqua repentino impetu super incautos
irrueret et interficerent incautos. Con-
dixerat enim etiam regem cum episcopo trucidare,
ut non esset qui vindicaret sanguinem
iustum. Res innotuit malachie, et intrans
ecclesiam etiam erat enim prope, elevatis manibus
oravit ad dominum. Et ecce nubes et caligo
sed et tenebrosa aqua in nubibus aeris
diem verterat in noctem. Fulgura quoque et toni-
trua et horribilis spiritus procellarum diem ulti-
mum minitantur, universaque elementa intentant
omnia mortem. Et ut scias lector quod
oracio malachie concusserit elementa, so-
los intercepit tempestas qui conspiraverant animam eius,
solos turbo tenebrosus involvit qui pa-
raverant opera tenebrarum. Denique ipse qui
princeps extiterat tanti mali, fulmine
percussus interiit cum tribus aliis, et fuere con-
sortes mortis qui fuerant participes sce-
leris. Quorum sequenti die inventa sunt cor-
pora semiusta, putrida, herencia ramis
arboris ubi quemque spiritus elevans allisisset.
Alii quoque tres semivivi inventi sunt, ceteri
omnes utcumque dispersi. Illos autem qui cum ma-
lachia erant communis proximosque loco, tempestas
omnino non tetigit, nec quamquam molestie
intulit. In facto isto recens capimus
experimentum veritatis verbi illius, quia oracio
iusti penetrat celos. Sed et novum antiqui
exemplum miraculi, quod olim tota egypto
versante in tenebris, solus israel in luce man-
sit, dicente scriptura: Ubicumque israel erat,
lux erat. Huc in accurrat et factum sancti

helie, nunc quidem ab extremis terre nubes
et pluvias educentis, nunc vero super
blasphemos evocantis ignem de celo. Et
modo de simili clarificatus est deus in
servo suo malachia.

Anno etatis sue tricesimo octavo,
pauper malachias pulso incubatore
intravit ardmacham pontifex et metro-
politanus totius hibernie. Rege vero ce-
terisque qui introduxerant eum ad propria reme-
antibus, ipse remanet in manu dei, et
remanet illi foris pugne, intus timores.
Nam ecce vipera soboles frendens et
vociferans se exheredari, tota se intus
et foris suscitat adversus dominum et adversus
christum eius. Porro nigellus videns sibi
iminere fugam, tulit secum insignia quedam
sedis illius, textum scilicet evangeliorum qui
fuit beati patricii, baculumque auro tectum
et gemmis preciosissimis adornatum, quem nomi-
nant baculum ihesu, eo quod ipse dominus ut fert
opinio eum suis manibus tenuerit atque
formaverit. Et hec summe dignitatis et ve-
neracionis in gente illa. Nempe notissi-
ma sunt celeberrimaque in populis, atque in ea
reverencia apud omnes, ut qui illa habere
visus fuerit, ipsum habeat episcopum populus
stultus et insipiens. Ibat homo gyrova-
gus et alter sathanas circuibat terram
et perambulabat eam, insignia sacra cir-
cumferens. Que ubique ostentans, ubique cor-
gia receptabatur, conciliaus sibi per hec animos
omnium, et malachia quosque potuisset a-
vertens hec ille. Erat autem princeps quidam
de potencioribus iniquie progeniei, quem
rex prius quam civitate exiret iurare coege-
rat pacem tenere episcopo, acceptis ab eo insuper
obsidibus multis. Is post regis exitum
midensium civitate ingressus consilium ha-
buit cum amicis et propinquis, quomodo sanctum do-
lo teneret. Timebant vero plebem. Et
coniuraverunt in necem malachie, constituere
diem et locum, et traditor dedit eis signum.
Ipso die cum vespertina iam sollempnia in ecclesia